Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8162
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

que ea effluxerit sunt acuti · et mordicative · et fetidum habent odorem · cuius
etiam quantitas cottidie augeatur · erit fistula putrida · et cum herpete
estiomeno · cum ex medicamine acuto · et ex eo quod complet omnia subtren-
dum est anguste dilatetur · et magnificetur · Cum autem non resudaverint nisi parum
neque eius quantitas cottidie augetur · neque malus odor ibi augmentatus
fuerit · non est in ea aliquid quod sit timendum · nisi resudatio et fluxus ·
Hinc medicum oportet donec siccetur · et detumescat · et non resudet per
multum tempus · Si autem resudatio redierit · medicamine predicto adhibeatur ·
et hoc in potius blandiri per totum tempus · vel per multum vite egri · et non
nocebit · Modus adhibendi medicamine huic egritudini · Ex collirio ·
quod in capitulo de fistula oculi nominavimus sumatur · et optime teratur · et fistula
primatur · donec quidquid in ea continetur egrediatur · et si radius eius ingredi po-
terit involvatur toto · deinde ex predicto medicamine postquam mollificatum
fuerit in uncturis in fistula mittatur · Si vero radius eius ingredi non poterit
dissolvatur medicamine in aqua · et sublevetur corpus egri supposito pulvi-
nari · et eo supino iacente · predictum medicamen · distillando super fistulam
fundatur · et fiat hoc in mane · et ad noctem per iii dies · et sedeat in aqua
decoctionis · et lavetur in ea · prout superius huius dicte cure · primum
eius fecimus mentionem · · **De egressione ani · capitulum ex libro almansoris ·**
Cum anus extra egreditur · apostemate carens · et ita disponitur
quod si impellatur ingreditur · Cerusse · balaustie · gallarum · aluminis ·
antimonii · omnium partes sumantur equales · et redigantur in pulverem · et super
anum ex oleo rosaceo calefacto inunctum pulverizentur · et anus intromittatur
et stringatur · quod tamen fieri convenit postquam eger a sella remissus fuerit ·
ne eum cito surgere a sella sit necesse · Sumantur etiam galle et balaustie
cupule glandium · folia mirti · et coquantur in aqua · donec rubea fiat ·
et sedeat in ea · et lavetur ex ea · Quod si anus est apostemosus
est · ingredi minime potest · eger aquam calidam frequenter ingrediatur · et
ungat anum exterius ex oleo camomillino · aut anetino · donec
ingrediatur · Cumque intromissus fuerit · ex hiis que nominavimus curetur
Dolores iuncturarum omnium · **Capitulum de podagra · et doloribus iuncturarum**
secundum plurimum fiunt ex humore crudo cui permixtum est aliquid cole-
re et secundum minus ex sanguine indigesto · et quandoque est causa eius vehe-
mens · et non nominatur podagra · nisi ille qui ex eis est in -